

nostrum diligere & honorare, & tuis rationabilibus votis & desiderijs debita cupimus benignitate fauere. Inde est quod Ecclesiam tuam sub beati Petri ac nostra protectione recipientes, ea quæ in præsentiarum pacifice ac legitime possedit, & specialiter Neeric, sicut a rege & Metropolitano tuo, & a venerabili fratre nostro Eskilo Lundensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis legato, tibi confirmata est, & scripti sui munimine roborata, tibi & per te eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communiemus. Statuentes vt nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Tuscul. VII. Idus Septembris.

59. 1165 — 1181, d. 9 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Årke-Biskopen i Upsala och dess Lyd-Biskopar samt Guthorm Jarl, med befallning att genom fästningarnes besättande hindra Finnarne att affalla från Christendomen.

K. h. 2: 623. n:o 25.

*Alexander Papa III. Vpsellensi* <sup>1)</sup> *Archiepiscopo & suffraganeis eius, & Guthermo* <sup>2)</sup> *duci.*

Grauis admodum & difficilis est ad Apostolicam sedem querela perlata, quod Phinni semper imminente sibi exercitu inimicorum, fidem seruare Christianam promittunt, & prædicatores & eruditores Christianæ legis desideranter requirunt, & recedente exercitu fidem abnegant, prædicatores contemnunt, & grauiter persequuntur. Vnde quoniam in hoc Deo illudere, & Christianam religionem deridere videntur, & illis se duplo filios gehennæ constituentibus, salus & vita eorum tota in terrenis, neglectis cælestibus, conspicitur consistere: nec est dignum, vt eis in aduersitate Christianum nomen defensionem conferat, quod in prosperitate despiciere & horrere probantur: vniuersitatem vestram monemus, atque mandamus, quatinus a fallacijs & fraudibus eorum ita prudenter & discrete de cætero caueatis, quod si ingruerit necessitas, ad auxilium & defensionem vestram non possint recurrere, nisi munitiones, si quas habent, vobis tenendas assignent, aut alias, adeo sufficientem cautionem exhibeant & securitatem, quod a modo nullatenus pedes retrahere, aut vestram prudentiam valeant circumue-

1) Stephano Vpsalensi. K. c. 161. 2) Guthormo a. st.

nire: sed Christianæ fidei documenta cogantur tenere firmiter & seruare: ne amplius de eorum numero videantur, de quibus dictum est, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Datum Tuscul. V. Idus Septembris.

60. 1165 — 1181, d. 9 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Ärke-Biskopen i Thronhem och f. d. Biskopen i Stavanger, med befallning att, Munken NILS, som var född i Estland, måtte lemnas Biskop FOLKE till biträde vid Esternas omvändelse.

K. h. 2: 623. n:o 26.

*Alexander Papa III. Trundensi Archiepiscopo, & A. quondam Sta-ueng. Episcopo.*

Lex diuina & humana desiderat, & debitum caritatis exposcit, vt bono & vtilitati communi debeamus intendere, & ad reuocationem & conuersionem infidelium operam omnimodam & sollicitudinem adhibere. Inde est quod prudentiam vestram rogamus attentius & monemus, venerabili fratri nostro Fulconi Estonum Episcopo, qui ad conuertendam gentem illam diuina gratia inspiratus ministerium prædicationis & laborem proponit assumere, Nicolaum monachum, qui de gente illa sicut accepimus est oriundus, virum religiosum atque discretum, in socium concedatis: vt tantum bonum possit perficere, & gentem illam ad agnitionem veri luminis, & ad culturam & doctrinam Christianæ fidei, verbo prædicationis auxiliante Domino reuocare, & vobis exinde valeat æternæ mercedis cumulus prouenire. Datum Tuscul. V. Idus Septemb.

61. 1165 — 1181, d. 17 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Linköpings stift, med befallning att visa Biskop KOL den vederbörliga lydnad, som de förut visat Bisk. Gisle.

K. h. 2: 623. n:o 27.

*Alexander Papa III. vniuersis tam clericis quam laicis Lingacopensis Episcopatus.*

Decet vniuersitatem vestram, quæ ad perfectionem virtutum & salutem pertinent animarum, toto studio cogitare, & ea voluntario effectu perficere, per quæ gratiam possitis altissimi acquirere, & ad æternæ felicitatis gloriam cum auxilio diuini numinis peruenire. Cæterum quoniam sine obedientiæ